



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De ministris clauium. Quæstio 19.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

De ministris clauium, in sex articulos diuisa.

Deinde considerandum est de ministris clauium, & vsu earum.

Cōc. Tri-
dent. in-
dicatis lo-
cis.

- ¶ Circa quod queruntur sex.
- ¶ Primo, vtrum sacerdos legalis clauis habuerit?
- ¶ Secundo, vtrum Christus clauis habuerit?
- ¶ Tertio, vtrum soli sacerdotes clauis habeant?
- ¶ Quarto, vtrum sancti homines non sacerdotes, clauis vel vsum earum habeant?
- ¶ Quinto, vtrum mali sacerdotes vsum clauium habeant efficacem?
- ¶ Sexto, vtrum schismatici, hæretici, excommunicati, suspensi, & degradati vsum clauium habeant?

ARTIC. I.

Vtrum sacerdos legalis clauis habuerit?

72

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod sacerdos legalis clauis habuerit. Clavis enim est sequela ordinis. Sed ipsi habuerunt ordinem, ex quo sacerdotes dicebantur. Ergo etiam clauis habuerunt sacerdotes legis.

Tho. 4. d.
19. q. 1.
ar. 1. q. 1.
c. 1.

¶ 2. Præterea, Sicut Magister dicit, clauis sunt duæ, scilicet scientia discernendi, & potentia iudicandi. Sed ad vtrumque sacerdotes legales habebant auctoritatem. Ergo habebant clauis.

li. 4. sent.
d. 18. q. 1.

¶ 3. Præterea, Sacerdotes legales habebant aliquam potestatem super reliquum populum; non temporalem, quia sic potestas regia non fuisset distincta a sacerdotali. Ergo spirituales. Et hæc est clavis. Ergo habebant clauem.

SED contra, Clauis ordinantur ad aperiendum regnum cælorum: quod aperi non potuit ante Christi passionem. Ergo sacerdos legalis clauis non habuit.

¶ Præterea, Sacramenta veteris legis gratiam non conferebant. Sed aditus regni cælestis aperi non potuit nisi per gratiam. Ergo per illa sacramenta non poterat aperi; & sic etiam sacerdos, qui minister Supplementum.

M ster

ster eorum erat, clauēs regni cœlestis non habebat.
 RESPONDEO dicendum, quòd quidam dixerunt
 quòd in veteri lege erant clauēs regni apud sacerdo-
 tes: quia eis erat commissum imponere penam pro
 delictis, vt dicitur Leuit. 5. quòd ad clauēs pertine-
 re videtur: sed fuerunt tunc incompletæ; nunc autem
 per Christū in sacerdotibus nouæ legis perfectæ sunt.
 Sed hoc videtur esse contra intentionem Apostoli
 in Epistola ad Heb. cap. 9. Ibi enim sacerdotium
 Christi præfertur sacerdotio legali, per hoc quòd
 Christus assistit Pontifex futurorum bonorum, im-
 ducēs per proprium sanguinem in tabernaculum ma-
 nufactum, in quòd introducebat sacerdotum
 teris legis per sanguinem hircorum & taurorum.
 de patet quòd sacerdotij illius potestas non se-
 debat ad cœlestia, sed ad figuras cœlestium: & illud
 secundum alios dicendum, quòd non habebant
 ues, sed in eis figura clauium præcessit.

Ad primum ergo dicendum, quòd clauis regni
 cœlestis consequitur ad sacerdotium, per quòd homo
 cœlestia introducit. Non autem tale erat sacer-
 dotium Leuiticum: & idè clauēs cœli non habuerunt
 sed clauēs terreni tabernaculi.

Ad secundum dicendum, quòd sacerdotes veteris
 legis habebant auctoritatem discernendi & iudican-
 di, sed non vt admitteretur homo iudicatus ab eis
 cœlestia, sed in figuras cœlestium.

Ad tertium dicendum, quòd non habebant
 tualem potestatem: quia per sacramenta legalia
 à culpis, sed ab irregularitatibus homines purgabantur
 vt ad manufactum tabernaculum aditus purgatus
 eos pateret.

ARTIC. II.

Virum Christus clauem habuerit?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd
 Christus non habuerit clauem. Clauis enim charac-
 terem ordinis consequitur. Sed Christus non habuit
 characterem. Ergo non habuit clauem.

¶ 2. Præ-

¶ 2 Præterea, Christus habuit in sacramentis potestatem excellentiæ, vt effectum sacramenti sine sacramentalibus posset conferre. Sed clavis est quoddam sacramentale. Ergo non indigebat clavi, & sic frustra eam habuisset.

SED contra est, quod dicitur Apoc. 3. Hæc dicit qui habet clauem Dauid, &c.

RESPONDEO dicendum, quod virtus aliquid agendi est in instrumento, & in agente, non eodem modo: sed in agente est perfectius. Potestas autem clauium, quam nos habemus, & aliorum sacramentorum, virtus est instrumentalis: sed in Christo est vt in agente ad salutem nostram; per auctoritatem quidem, in quantum est Deus; sed per meritum, in quantum est homo. Clavis autem de ratione sua exprimit potestatem aperiendi & claudendi, siue aliquis aperiat quasi principale agens, siue quasi minister. Et ideo in Christo oportet ponere clauem, sed altiori modo, quam fit in eius ministris: & ideo dicitur quod habeat clauem excellentiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod character de sua ratione dicit aliquid ab aliquo deriuatum: & ideo potestas clauium, quæ in nobis à Christo deriuata est, sequitur characterem quo Christo conformantur: sed in Christo non consequitur characterem, sed principalem formam.

Ad secundum dicendum, quod clavis illa quam Christus habuit, non erat sacramentalis, sed sacramentalis clavis principium.

ARTIC. III.

Vtrum soli sacerdotes claves habeant?

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod non soli sacerdotes claves habeant. Dicit enim Iud. quod ostiarij inter bonos & malos habent iudicium, dignos recipiunt, indignos reijciunt. Sed hæc est definitio clauium, vt ex dictis * patet. Ergo non solum sacerdotes, sed etiam ostiarij claves habent.

¶ 2 Præterea, Claves sacerdotibus dantur, dum

M a, per

74

† in lib. 2. de offic. eccl. c. 14. et l. 7. c. 17. c. 12. in si. & c. 17. d. 24. par. C. 5. m. lo quid habetur in decretis, d. 25. ca. Perle. Et ex prebe d. 21. c. 2. in c. 17. * 7. 17. 17. 20



per vñtionem potestatem diuinitus accipiunt. Sed Reges etiam potestatem in populum fidelem diuinitus habent, & per vñtionem sanctificantur. Ergo non soli sacerdotes habent clauas.

¶ 3 Præterea, Sacerdotium est ordo vni singulari personæ conueniens. Sed clauem aliquando videtur habere tota vna congregatio: quia quædam capitula excommunicationem inferre possunt; quod ad potestatem clauium pertinet. Ergo non soli sacerdotes clauem habent.

¶ 4 Præterea, Mulier non est sacerdotalis ordinis susceptiua: quia ei in Ecclesijs docere non competit secundum Apostolum 1. Cor. 14. Sed aliquæ mulieres videntur habere clauas, sicut abbatissæ quæ habent spiritualem potestatem in subditas. Ergo non soli sacerdotes habent clauas.

*lib. 1. de
penit. c. 2
circa pr.
to. 1.*

SED contra est, quod Ambr. † dicit, Hoc ius licet ligandi & soluendi, solis sacerdotibus est concessum.

¶ Præterea, Per potestatem clauium efficitur aliquis medius inter populum & Deum. Sed hoc tantum sacerdotibus competit, qui constituuntur in his que sunt ad Deum, vt offerant dona & sacrificia pro peccatis: vt dicitur Hebr. 5. Ergo soli sacerdotes clauas habent.

RESPONDEO dicendum, quod clauis est duplex. Vna, quæ se extendit ad ipsum cælum, immediate mouendo impedimenta introitus in cælum per remissionem peccati; & hæc vocatur clauis ordinis: & hæc soli sacerdotes habent, quia ipsi soli ordinantur populo in his que directe sunt ad Deum. Alia clauis est, quæ non directe se extendit ad ipsum cælum, sed mediante militante Ecclesia, per quam aliquis ad cælum vadit, dum per eam aliquis excluditur vel admittitur ad consortium Ecclesiæ militantis per excommunicationem & absolutionem; & hæc vocatur clauis iurisdictionis in foro causarum: & ideo hæc etiam non sacerdotes habere possunt; sicut archidiaconi

diaconi & electi, & alij qui excommunicare possunt. Sed non proprie dicitur clavis cæli, sed quædam dispositio ad ipsam.

Ad primum ergo dicendum, quod ostiarii habent clauem custodiendi ea quæ in templo materiali continentur, & habent iudicium à tali templo excludendi, & admittendi; non quidem sua auctoritate iudicantes qui sint digni vel indigni, sed iudicium sacerdotum exequentes: ut sic quodammodo executores potestatis sacerdotalis videantur.

Ad secundum dicendum, quod Reges non habent aliquam potestatem in spiritualibus, & ideo clauem regni cælestis non accipiunt; sed solum in temporalibus, quæ etiam non nisi à Deo esse potest, ut patet Roman. 13. Nec per vñctionem in aliquo sacro ordine consecrantur, sed excellentia potestatis ipsorum à Christo descendere significatur, & ut ipsi sub Christo in populo Christiano regnent.

Ad tertium dicendum, quod sicut dicitur in Politicis 3, quandoque iudex habet totam potestatem, sicut est in regno. Quandoque autem multi in diuersis officijs constituti, etiam ex æquo, ut dicitur in 8. Ethic. ¶ Ita etiam spiritualis iurisdictio potest haberi ab vno solo, sicut ab episcopo; & à pluribus simul, sicut à Capitulo: & sic habent clauem iurisdictionis, non tamen clauem ordinis omnes simul.

Ad quartum dicendum, quod mulier secundum Apost. est in statu subiectionis, & ideo non potest habere aliquam spirituales iurisdictionem: quia etiã secundum Philof. in 8. Ethic. † corruptio est vrbantatis, quando ad mulierem dominium peruenit. Vnde mulier non habet neque clauem ordinis, neque clauem iurisdictionis. Sed committitur mulieri aliquis vsus clauium, sicut habere correctionem in subditas mulieres, propter periculum, quod imminere possent, si viri mulieribus cohabitarent.

Greg. c. 4.
in 10. c. 1.
Regum.

lib. 2. c. 4.
à med.

*cap. 10.
c. 11.

1. Cor. 11.
c. 14.
ex c. 10. à
medio.
ut patet
ex decre.
lib. 5. tit.
38. c. 10.

*Vtrum etiam sancti homines, non sacerdotes, clauis
vel usum earum habeant?*

75

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod etiam sancti homines non sacerdotes, usum clauium habeant. Absolutio enim & ligatio, quæ fit per clauis, efficaciam habet ex merito passionis Christi. Sed illi maxime passioni Christi conformantur, qui per patientiam, & alias virtutes Christum passum imitantur. Ergo videtur, quod etiam si non habent sacerdotalem ordinem, possint ligare & soluere.

¶ 2 Præterea, Heb. 7. dicitur, Sine vlla contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur. Sed in spiritualibus, secundum August. * hoc est maius esse, quod est melius esse. Ergo meliores, qui scilicet plene de charitate habent, possunt alios benedicere absol- uendo; & sic idem quod prius.

SED contra, Cuius est potentia, eius est actio, secundum Philosoph. * Sed clauis quæ est potestas spiri- tualis, est tantum sacerdotum. Ergo & vltus eius non nisi sacerdotibus conuenire potest.

RESPONDEO dicendum, quod agens per se, & agens instrumentale in hoc differunt: quod agens in- strumentale non inducit in effectum similitudinem suam, sed similitudinem principalis agentis. Princi- pale autem agens inducit similitudinem suam. Ideo ex hoc aliquid constituitur principale agens, quod habet aliquam formam, quàm in alterum trans- fundere potest. Non autem ex hoc constituitur agens instrumentale: sed ex hoc, quod est applicatum a prin- cipali agente ad effectum aliquem inducendum. Cuius ergo in actu clauium principale agens sit Christus, Deus, per auctoritate; & vt homo, per meritum: ex plenitudine diuinæ bonitatis in eo, & ex perfectione gratiæ, consequitur quod possit in actum clauium. Sed homo alius non potest in actum clauium: quia per se agens: quia nec ipse alteri gratiam, qua remittuntur peccata, dare potest; nec sufficienter meretur.

*lib. 6. de
Trinit. c.
8. circa
med. 10. 3*

** lib. de
somno &
vigilia,
c. 1. ante
med.*

ideò non est, nisi sicut agens instrumentale. Vnde & ille qui effectum clauium consequitur, non assimilatur vrenti clauibus, sed Christo. Et propter hoc quantumcumque aliquis habeat de gratia, non potest perungere ad effectum clauium, nisi applicetur ad hoc quasi minister, per ordinis susceptionem.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut inter instrumentum & effectum non exigitur similitudo secundum conuenientiam in forma, sed secundum proportionem instrumenti ad effectum: ita etiam nec inter instrumentum & principale agens. Et talis similitudo est in sanctis hominibus ad Christum passum: & talis similitudo eis vsum clauium non confert.

Ad secundum dicendum, quòd quamuis purus homo non possit alteri ex condigno mereri gratiam, tamen vnus meritum potest cooperari ad salutem alterius: & ideò duplex est benedictio. Vna quæ est ab ipso homine puro, sicut merente per proprium actum: & talis potest fieri à quolibet sancto, in quo Christus habitat per gratiam: & hæc requirit maiorem bonitatis, ad minus in quantum huiusmodi. Alia est benedictio, qua homo benedicit, vt benedictionem quæ est ex merito Christi, instrumentaliter alicui applicans: & quantum ad hanc, requiritur maioritas ordinis, & non virtutis.

ARTIC. V.

76

Utrum mali sacerdotes vsum clauium habeant?

lib. 5. de bapt. cõs. Donatist. c. 21. circa fi. 10. 7

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quòd mali sacerdotes vsum clauium non habeant. 1o. enim 2o. vbi vsum clauium Apostolis traditur, Spiritus sancti donum præmittitur. Sed mali non habent Spiritum sanctum. Ergo non habent vsum clauium.

Et refertur de cõsecr. d. 4. c. Quomodo exaudit. 19. Mag. sct. d. 19. §. B

¶ 2. Præterea, Nullus sapiens Rex dispensationem sui thesauri, suo inimico committit. Sed vsum clauium consistit in dispensatione thesauri cœlestis Regis, qui est ipsa sapientia. Ergo mali qui per peccatum sunt eius hostes, non habent vsum clauium.

¶ 3. Præterea, Aug. ¶ dicit, quòd sacramentum gra-

M 4 tia,



tiæ, dat etiam Deus per malos; ipsam verò gratiam, non nisi per seipsum, vel per sanctos suos: & ideo remissionem peccatorum per seipsum facit, vel per ipsius columbæ membra. Sed remissio peccatorum est vsus clauium. Ergo peccatores qui non sunt columbæ membra, vsus clauium non habent.

¶ 4. Præterea, Intercessio mali sacerdotis non habet aliquam efficaciam ad reconciliandum: quia secundum Greg. * Cùm is qui displicet, ad interpellandum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Sed vsus clauium fit per quamdam intercessionem, & patet in forma absolutionis. Ergo prauis sacerdotibus non habent efficacem clauium vsus.

SED contra, Nullus potest scire de alio, an sit in statu salutis. Si ergo nullus posset uti clauibus nisi absoluendo, nisi existens in statu salutis, nullus sciret se esse absolutum; quod est valde inconueniens.

¶ Præterea, Iniquitas ministri non potest auferre liberalitatem Domini. Sed sacerdos est solum minister. Ergo non potest sua malitia donum à Deo transmissum per eum nobis auferre.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut participatio formæ, quæ est inducenda in effectum, non facit instrumentum: ita nec subtractio talis formæ, tollit vsus instrumenti. Et idèd cum homo sit tantum instrumentaliter agens in vsu clauium, quantumcumque fit gratia per peccatum priuatus, per quam gratia fit remissio peccatorum, nullo tamen modo priuatus vsu clauium.

Ad primum ergo dicendum, quòd donum Spiritus sancti exigitur ad vsus clauium, non ut sine quo fieri non possit: sed quia sine eo incongruè fit ex parte vtentis, quamuis subiectus se clauibus, effectum clauium consequatur.

Ad secundum dicendum, quòd Rex terrenus in thesauro suo defraudari & decipi potest, & ideo dispensationem eius hosti non committit. Sed Rex celestis defraudari non potest, quia totum ad ipsius potestatem

* in Pa-
storalibus, 1.
p. c. 11 pa-
ræ à pri.
Similia
lo: a vide
in 4 sent.
d. 19. S. B

Magist. 4
sent. d. 19
S. C.

norem eccle, etiam quod aliqui clauibus malè vtuntur; quia nouit ex malis elicere bona, & per malos etiam multa bona facere: & ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quòd August. * loquitur de remissione peccatorum, secundum quod sancti homines cooperantur ad ipsam non ex vi clauium, sed ex merito congrui: & ideo dicit, quòd etiam per malos sacramenta ministrat; & inter alia sacramenta etiam absolutio, quæ est vsus clauium, computari debet. Sed per membra columbæ, id est per sanctos homines, facit remissionem peccatorum, in quantum eorum intercessionibus peccata remittit. Vel potest dici quòd membra columbæ nominat omnes ab Ecclesia non præcisos: qui enim ab eis sacramenta recipiunt, gratiam consequuntur; non autem qui recipiunt ab illis qui sunt ab Ecclesia præcisi, quia ex hoc ipso peccant; excepto baptismo, quem in casu necessitatis licet etiam ab excommunicato recipere*.

Ad quartum dicendum, quòd intercessio, quam sacerdos malus ex propria persona facit, non habet efficaciam: sed illa quam facit vt minister Ecclesiæ, habet efficaciam ex merito Christi: vtroque tamen modo debet intercessio sacerdotis populo subiecto pdesse.

ARTIC. VI.

Virum schismatici, hæretici, excommunicati, suspensi, & degradati, vsus clauium habeant?

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quòd schismatici, hæretici, excommunicati, suspensi, & degradati, vsus clauium habeant. Sicut enim potestas clauium dependet ab ordine, ita & potestas conficiendi. Sed non possunt amittere vsus potestatis conficiendi: quia si conficiunt, confectum est, quamuis peccent conficientes. Ergo etiam non possunt amittere vsus clauium.

¶ Præterea, Omnis potestas spiritualis actiua in eo qui habet vsus liberi arbitrij, exit in actum, quando vult. Sed potestas clauium adhuc manet in prædictis; quia cum non detur nisi in ordine, oportet

loco cita-
to in ar-
gum. 3.

vt dicit
Aug. ser.
11. de ver-
bis domi-
ni circa
finem, 10.
10. et lib.
1. de bapt.
cont. Do-
natist. c. 2
10. 7. et de
fide ad Pe-
trū, c. 36.
39. & 3.
10. 3.

77

† vt dictū
est in 2. p.
q. 82. a. 7

teret reordinari eos quando ad Ecclesiam redeunt. Ergo cum sit potentia actiua, possunt in actum transire, cum voluerint.

¶ 3 Præterea, Spirituales gratia magis impeditur per culpam, quàm per pœnam. Sed excommunicatio & suspensio, & degradatio, sunt pœnæ quædam. Cum ergo propter culpam non amittat aliquis vsum clauium, videtur quòd nec propter ista.

¶ trac 121 in Ioan. procul à fine to 9. SED contra, Augustinus dicit, quòd Ecclesiæ charitas peccata dimittit. Charitas autem est quæ facit Ecclesiæ vnionem. Cùm ergo prælati & sint ab Ecclesiæ vnionem diuisi, videtur, quòd vsum clauium non habeant in remittendis peccatis.

¶ Præterea, Nullus absoluitur à peccato secundum hoc quòd peccat. Sed aliquis à prædictis * absoluitur nem peccatorum petens, peccat, contra præceptum Ecclesiæ faciens. Ergo per eos à peccato absolui non potest: & sic idem quod prius.

RESPONDEO dicendum, quòd in omnibus prædictis * manet clauium potestas quantum ad essentiam sed vsus impeditur ex defectu materiæ. Cum enim vsus clauium in vidente, prælationem requirat respectu eius in quem vtitur: (vt supra dictum * est) propria materia, in quam exercetur vsus clauium, est homo subditus. Et quia per ordinationem Ecclesiæ vnionem subditur alteri: idè etiam per Ecclesiæ prælatos potest subtrahi alicui ille, qui erat ei subiectus. Vnde in Ecclesia hæreticos & schismaticos & alios huiusmodi priuet, subtrahendo subditos, vel simpliciter, quantum ad aliquid: quantum ad hoc quòd priuati sunt non possunt vsum clauium habere.

Ad primum ergo dicendum, quòd materia sacramenti Eucharistiæ, in quam suam potestatem exercet sacerdos, non est homo, sed panis triticeus, & in Baptismo homo simpliciter. Vnde sicut si subtraheretur hæretico panis triticeus, conficere non potest: ita nec si subtrahatur prælato prælatio, absoluitur

potest.

poterit. Potest tamen baptizare & conficere, quamvis ad sui damnationem.

Ad secundum dicendum, quod propositio habet veritatem, quando non deest materia, sicut est in proposito.

Ad tertium dicendum, quod ex ipsa culpa non subtrahitur materia, sicut per aliquam poenam. unde poena non impedit per contrarietatem ad effectum inducendum, sed ratione prædicta *.

* in corp. art.

QVÆST. XX.

De his, in quos usus clauium exerceri potest, in tres articulos diuisa.

¶ Deinde considerandum est de his, in quos usus clauium exerceri potest.

¶ Circa quod tria quærentur.

¶ Primo, utrum sacerdos possit in quemlibet hominem vti clauæ, quam habet?

¶ Secundo, utrum sacerdos possit semper suum subditum absoluere?

¶ Tertio, utrum aliquis possit vti clauibus in suam Superiorem?

ARTIC. I.

Utrum sacerdos possit vti clauæ, quam habet, in quemlibet hominem?

78

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod sacerdos possit vti clauæ quam habet, in quemlibet hominem. Potestas enim clauium in sacerdote descendit ex illa diuina auctoritate qua dixit, Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Sed illud indeterminate dictum est. Ergo habens clauem, indeterminate potest ea vti in quolibet.

Tho. in 4 d. 19. q. 2 ar. 3. q. 1. & seq.

¶ 2 Præterea, Clauis corporalis quæ aperit vnam feram, aperit omnes alias eiusdem modi. Sed omne peccatum cuiuscumque hominis est eiusdem rationis obstaculum, respectu introitus cæli. Ergo si potest vnum hominem sacerdos per clauem, quam habet absoluere; poterit & quolibet alios.

¶ 3 Præte-